

Dehortatur igitur Paulus Colossenses à figmentis Platonicorum, Epicureorum, Stoicorum, & præcipue Sophistarum, qui tum temporis maximè in Græciâ vigebant, & in utramque partem de quâlibet re copiosè differebant, & opinionibus suis, argutè ac facundè propositis, & idcircò veram sapientiam præ se ferentibus, conabantur à salutari Christi doctrinâ Colossenses seducere; in quem sensum & finem etiam vers. 4. habet; *Hoc dico, ne quis vobis imponat probabilitate sermonis;* Quod etiam spectat hoc Theodoreti in hunc locum. *Quam superiâs dixit probabilem, & ad persuadendum aptam orationem, hic appellavit Philosophiam:* Non autem à verâ Philosophiâ, ut pote quæ nos non spoliat veritate cœlesti; sed potius ad eam acquirendam dicit, & defendendam armat. Desinunt igitur in posterum boni illi viri, ac ipsos cæcō impetu sequentes Idiotæ locum hunc in vituperium Philosophiæ, & erroneæ suæ opinionis defensionem adducere: cùm non tantum ratio, à nostris stet partibus; sed etiam magnus gravissimorum omnis generis Theologorum numerus, quales sunt præter jam citatos Clemens Alexandrin. lib. 1. & 5. Stromat, Zanchius & Beza in hunc locum; Melchior Camus Locor. Theol. lib. 9. cap. 9. Alsted. Præcognit. Theolog. lib. 2. cap. 10. Casman. Philosoph. Christian. part 2. Quibus omnibus adjungimus Augustinum, ejusque verbis lib. 1. de Ordin. cap. 11. præsens caput concludimus. *Divinæ Scripturæ non omnino Philosophos, sed Philosophos hujus mundi evitandos esse præcipiunt.* Item, *Nam quisquis omnem Philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud, quam non amare Sapientiam.*

C A P. VIII.

1. *Nulla veræ Philosophiæ dogmata Theologicis esse contraria.*
2. *Ex nihilo nihil fieri, & Idem non posse reproduci numericè, non esse vera Philosophicè, & Theologicè falsa.*

1. **A**bsolvimus, quæ ex Sacris sententiæ nostræ opponi possent, præcipua; neque enim omnia persequi necesse arbitramur, cùm argumentum id à plerisque Authoribus, capite superiori citatis, plenissimè pertractatum fuerit. Progredimur itaque ad ea, quæ extra Dei verbum, nobis objici queunt. Hæc, cùm pleraque parvi ad modum momenti, & cuilibet per allatam præcedenti capite distinctionem solutu facilia sint, silentiō præteriremus omnia, nisi unum occurreret, quod aliquam præ se ferte difficultatem videatur. Est autem hoc, quod Philosophia multa statuat dogmata, quæ cum Theologiâ & S. Scripturâ adversis pu-

H

gnare